



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

23. S. Rimberius nunciat instantem mortem suam, ex præsagijs, & vnâ  
Visione mirâ quam habuerat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

tiâ cotidie ampliare satagebat, quicquid boni prius exercuit. Nec diu postea in hac vita duravit, cuius transitus ad Dominum subiuuncto ordine factus esse perhibetur.

## CAPVT XXIII.

*S. Rimbertus nunciat instantem mortem suam, ex præfagijs, & vna visione mira quam habuerat.*

**A**Nno penè integro antè obitus sui diem, quibusdam fidelibus suis secretiùs intimaui, multa sibi ostensa fuisse signa, quibus præsciret se in hac vita non diu mansurum, & quòd eos quibus hæc loquebatur in hac vita ultra non esset visurus: Quædam, inquit, huius rei præfagia mihi venerunt, quæ mihi non licet alijs indicare; Visionem tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, quâ evidentissimè discessum meum præfiguratum esse intelligio. Videbatur enim mihi, quòd in Ecclesiâ quadam muro firmissimo per medium interseptâ, ego ex vna parte muri fuisset, ex altera verò teneretur Dominus & decessor meus Ansgarius; conspexique innumerabilem turbam vtriusque sexus, more quærentium aliquid hac illacque conuerti, nec quicquam ex eo quod quærebant potuisse inueniri: Quibus Dominus Ansgarius, Quid, inquit, quæritis? At illi se annulum meum quæsisse respondentes, audierunt rursus ab Episcopo; vt cessarent

*Visio S.  
Rimberti.*

eum quærere, quando ipse secum esset illum habiturus. Hæc dum quibusdam, vt diximus, narraret Dominus Rimbertus, ex hoc multisque alijs indicijs asseruit, se esse certificatum, quòd eodem anno de hac vita foret exiturus. Et vt memoria eius audientium animis per verba quæ recedens diceret artius imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari nouerat ammonitiones eis salutare fecit, non mediocriter verbis eius in gratiam ædificationis profluentibus. Posthæc valedicens illis discessit ab eis, nec vltius, vt ipse prædixit, eum viderunt. Qualiter autem somnium hoc, quod modò protulimus, euidenti effectu in obitu ac depositione eius, vt ipse intellexerat, completum sit, congruè eo loco enarrabimus, quo commemorandum erit, qualiter anima eius ad cœlos subleuata sit, & quomodo corpus eius sepulturæ traditum habeatur.

## CAPVT XXIV.

*Ægrotudo, pietas, & mors S. Rimberti.*

**D**Vodecim igitur diebus antè transitum suum perueniens ad Ecclesiam Bremensem, ipso mox die infirmitate correptus est. Cumque per omnes horas infirmitas grauiter cresceret, ipse semper Psalmodijs & Lectionibus sacris intentus, sese ad futurum de hac vita transitum sollicitè præparabat. Et quanquam languoris immanitas corporis

reis viti